...is (Kuralt): Idyllion ad Illustriss. ac Rdiss. D. Cajetanum Kicki, Archiepiscopum Leopolitanum a. 1798

IDYLLION

AD

ILLUSTRISSIMUM AC REVERENDISSIMUM

DOMINUM

CAJETANUM

GOZDAWA DE KITKI

KICKI

ARCHIEPISCOPUM

LEOPOLITANUM

ANNO

MDCCXCVIII. (1798)

VERE INEUNTE SOLEMNITER

INAUGURATUM.





LEOPOLI, TYPIS PILLERIANIS.

— — εγω μεν αλαθεα παντ' αγορευω,

Κ'ουδεν καυχεομαι — — — —

Theocrit. Idyll. V. Vers. 76. 77.



Bella canant alii nunc, heroasque potentes,
Qui Jovis æthereos imitati vindicis ignes,
Lethiferaque uſi nimium feliciter arte
(Proh! animus meminiſſe horret, lugensque recedit)
Haud pridem alta feris quatiebant mœnia dextris:
Templa, domos, ſacra magnorum penetralia Regum,
Virgineos cœtus, præbentes ubera matres,
Cives per plateas, per diſſita rura colonos,

Nubigeris damasque jugis, phocasque ſub undis,
Ac totum reſonis turbarunt ictibus orbem.
Exoſus gladios ego, clangoremque tubarum,
Et quæcunque furens glomerat ſpectacula Mavors,
Pacis, & umbroſæ teneor dulcedine vallis
Hîc, ubi grata mei propter viridaria Mopſi
(Mopſum jam dudum placido videt ore Thalia,
Carmina pangentem plenis recitanda theatris,
Exercere parem glebasve, animosve juventæ,
Si quibus eſt veri, recti, pulchrique cupido)
Ceſpite vernanti patulum præcinctus hiatum,
Fons nitidus, gemmisque magis pellucidus, idem
Quærendusque magis, ſi mens non læva, perennes
Irrequietus opes, (ah! nos ne fluxius omne
Experiamur opum genus, aut ſtrepitosius ullum)
Cuilibet ante pedes blando cum murmure fundit:
E regia cives ſtudiis ingentibus ægros

Ur-

Urbe vocat, relevare animos hortatur, amœna
Frigora laſſatis, & pocula præbet inempta:
Gramineis ſomnosve toris jam ſuadet inire,
Sive graves lymphis merſare ſalubribus artus.
Hîc ego, jam nullas verſans ſub pectore curas,
Dulcia quaſſatis fecerunt otia terris
Cum Superi, & longo ſolvit ſe patria luctu,
Fronde ſub arborea, molli projectus in herba,
Mænaliis ludam calamis, lentusque ſupinos,
Quos inter rutilum caput alma Leopolis effert,
Pieridasque ſovet gremio, mitiſſime nomen
Cajetane tuum colles reſonare docebo.
O felix, placidisque Maro dilecte Camœnis!
Qui cæli quondam atque ævi melioris alumnus,
Sidera dum merito tangebat vertice Roma,
Tardivagi noto ſpatians in litore Mincî,
Vel patulæ recubans viridi ſub tegmine fagi,

Ita-

Italicos tanta paſtores voce canebas,
Ut vicina tuis cupidas arrexerit aures
Mantua carminibus: decus o! & gloria gentis
Auſoniæ, vates, quo non divinior alter!
Huc oculos, huc verte tuos a ſedibus altis,
Quas prius Octavio, vatum de more, paraſti,
Certius ipſe tenes, æternis dignior aſtris!
Tu, precor, incultis concentibus adnue; nec jam,
Sarmaticum quamvis, noſtrum tibi ſordeat arvum.
En! ſuus & noſtris honor eſt & gratia campis:
Eſt Cajetanus. Qui, ſi formoſus Alexis,
Si præmaturo ſublatus funere Daphnis,
Pollioque, & Gallus manſuram carmine famam
Obtinuere tuo, dignum ſe præſtat & ipſe,
Ut tua eum, quæ nil unquam mortale ſonabat,
Ut tua eum celebret feſtivo tibia verſu,
Et pulſæ ſublime ferant ad ſidera valles.

Eſt

Eſt Cajetanus paſtor ſupremus in oris
Galiciis. Fauſto ſupremus ut omine paſtor
Cajetane fores, idem ſimul ardor habebat
Nos omnes; paribus ſuccenſi pectora flammis,
Et quos alta tenet ſtellati regia cæli,
Et quos ſublimi prægrandis in arce Vienna
Dat tam præſentes populis cognoſcere, Divos
Sic uno cuncti toties ſumus ore precati:
O Superi! ſtudium queis Lechica rura tueri,
Hunc oviumque boni date, paſtorumque magiſtrum;
Hic fidus curabit oves, oviumque magiſtros.
Ipſe precum teſtis fuerat perſæpe calentum
Hic fons, & propera veluti mage garrulus unda
Ipſe piis ſua miſcuerat quoque murmura votis.
Hæ teſtes coryli, ſalicesque, comamque perunctæ
Alni, quæ placide ſociantes brachia fonti
Inducunt tremulas, Zephyris motantibus, umbras.

Tan-

Tantus amor cunctos, desideriumque tenebat
Cajetane tui, quanto, cum Sirius ardet,
Rura vocant riguum late sitientia rorem.
Tantus amor cunctos, desideriumque tenebat
Cajetane tui, quanto, cum nubila pendent,
Et maturescens nimio seges imbre fatiscit,
Consternata rogant lentum magalia Phœbum.
Tu Jovis es pluvii nobis, es Apollinis instar:
Larga fluunt miseris ex te solatia rebus.
Felices! tantum qui te genuere parentes:
Felices! animum qui quondam mollibus annis
Cajetane tuum vigili coluere magistri
Sedulitate; tibi, quæ semita ducat in altum,
Monstrantes, & quod summum sit culmen honorum.
Eheu! longa fuit, præceps, salebrosaque plantis
Percurrenda tuis via. Te nec Carpatus ingens,
Nec qui præruptis vetus insidet Alpibus horror,

Non

Non amnis rapidus, non æquoris unda tumentis
Detinuit; contra velocius ire juvabat,
Et mores hominum, ſtudia & diverſa videre.
Aure bibebantur cupida tibi Tibris ad undas
Romulei, longum quæ jam demiſſa per ævum
Suaviter uſque ſonant numeroſi carmina Flacci;
Dictaque, queis Cicero rapiebat corda Quiritum,
Et Seneca impavidæ docuit virtutis amorem.
Experto rerum tibi, doctarumque potenti
Linguarum, qua Germanus, qua Gallus, & acer
Italus erudiunt alias ex ordine gentes,
Munifico reditum ſuaſit jam patria nutu.
Audieras patriam (quis enim non audiat illam!)
Ad charosque lares, camposque reverſus avitos.
Adjunxit reduci comitem Sapientia ſeſe,
Junxerat & Virtus: certiſſima numina ſole
Sub quocunque viris! teque hac in ſede locarunt,

Longorum quæ finis erat, quæ meta laborum.
Sume pedum paſtor, gemmis auroque coruſcum,
Galiciæque diu felix ſpatiare per arva,
Dulce decus ruris! Tua ſe veſtigia circum
Lætior agnorum tollet balatus in auras,
Mollior in pratis aſſurget graminis herba,
Uberiore natans flaveſcet campus ariſta,
Mitius alticoma pendebit in arbore pomum.
Ipſe tibi Boreas immitem contrahet alam
Horriſonus, fugiet Boreæ truculentior iris
Errorum nubes, turpi caligine mentes
Quæ tegit humanas, cæcasque per avia torquet.
Coram te fugient & opum maleſuada cupido,
Et dolus, & denſis fraus intricata tenebris,
Et quodcunque genus vitii mortalibus auget,
Quem non ipſa dedit numerum natura malorum.
Sume pedum, felixque diu ſpatiare per arva


Gali-

Galiciæ: dictis animos rege, pectora mulce,
Infere virtutes; & fic mortalibus auge
Hunc, quem parca negat numerum natura bonorum.
Errant mille tibi per florea prata juvencæ,
Squamigerum pecus exultat per ftagna, feracis
Jugera mille foli preffis verfantur aratris,
Et veteres jactant umbrofa cacumina fylvæ.
Eft tibi magna quidem rerum, quas poftulat ufus,
Copia; fed tanto tamen impar copia cordi!
Vix par largifluæ, promptæque ad munera dextræ.
Sume pedum, felixque diu fpatiare per arva
Cajetane, fatis jam te luftrante beata.
At vos, fpes patriæ! pueri teneræque puellæ,
Spargite humum, quocunque feret veftigia paftor
(Supremus meruit fieri fibi talia paftor)
Spargite humum foliis, & lectos undique flores,
Quos nunc vere novo levis educat aura Favonî,

In

In blandas charo capiti vincite coronas.
Tuque meos inter notiſſime, Mopſe, ſodales,
Qui cunctis ſemper meritis es præco paratus,
Hæc mea dum raucum modulatur carmen arundo,
Selige, quæ nemoris ſoboles pulcherrima, fagum,
Et Cajetani deſcribe in cortice laudes,
Scribendo potior! Felici germine fagus,
Et Cajetani ſe tollet ad æthera nomen.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0026914